



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum
Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

Puente, Luis de la

Coloniae, 1614

Med. 35. De Flagellatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

quia *vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruat corpus peccati.* Ita quælo, mea peccata macta Domine, ut amplius in anima mea non viuant, nec *vltra seruiam peccato:* aut similis aliquando clamor, ex anima mea prodeat, d *rursum crucifigens mihi met ipse filium Dei.*

MEDITATIO XXXV.
DE CHRISTI AD COLUMNAM flagellatione.

PUNCTVM I.



IDENTS Pilatus, pertinaciam turbæ in petendo, ut Christus crucifigeretur, dimisit illis *Barabbam,* & primam contra Christum sententiam tulit, ut *flagellaretur:* quem mox militibus

tradidit, ut eam sententiam statim exequerentur.

I. PERPENDENDAE sunt primam causam, quæ Pilatum permouerunt ad hanc sententiam de Christo flagellando, quæ duæ fuerunt potissimū; ALTERA, ut videret, num forte hæc flagellorum pœna, turba ita emolliretur, et satisficeret, ut à morte Christus liberaretur: quam causam insinuauit ipse, cum ad turbæ clamores petentis, ut Christus crucifigeretur,

dixit,

¶ Matt. 27.
26.

¶ Marc 15. 15.

¶ Ioan. 19. 1.

¶ Luc. 23. 16.

dixit: *b nulla causam mortis inuenio in eo: corripiam ergo illū & emendatum dimittam.* quare facile credi potest, eū militibus iussisse, vt crudeliter flagellarent, & ita tractarent, vt quicumq; illum viderent, cōpassione tangerentur.

ALTERA causa fuit, vt si etiam esset crucifigendus, flagella mortem præcessissent, ex lege Romanorum, quæ id statuebat; quod aspicientes crucifixum nudum, non offenderentur; sed compassione potiùs mouerentur, videntes vulneratum. Sunt verò, qui contemplantur Christum Dominum bis fuisse flagellatum: PRIMVM, ob primam causam: DEINDE ob secundam, quando fuit re ipsa ad crucis mortem condemnatus. Quicquid verò de hoc fuerit, sententia illa, tum fuit iniustissima & crudelissima; tum ignominiosissima: sciebat enim ipse iudex, Christum esse innocētē: & nihilominus ad flagella sustinenda eum condemnauit: quæ poena tum erat infamis, & latronum ac mancipiorum propria, & crudele supplicium, quo sanguis innoxius horrendis doloribus effundebatur: tum re ipsa, turbæ iudicium & electio comprobatur, qua Barabbam elegerat, vt Christus morti traderetur; siquidem re ipsa ita illum tractari iubebat, sicut Barabbas, ob sua furta & latrocinia, tractari dignus fuerat.

Et quamuis talis esset illa sententia, Christus tamen Dominus, ita in corde suo illam acceptauit, vt nec appellauerit ab ea, nec supplicauerit, nec verbū aut querelam vllā dixerit,

aut

b Luc. 23.
16.22.

II.

S Hierony.
in hunc locum.

Gerson in
Monoc. c.
146. rubr. 6.

III.

c *Ijai. 53. 5.*d *Psal. 37. 18.*e *Psal. 90.
10.*f *Psal. 39. 7
Hebr. 10. 5.*g *Psal. 68. 5.*

aut vllam sensus iudicium contra eam ostenderit; sed potius corpus suum libenter obtulit ad flagella sustinenda, in satisfactionem pro nostris peccatis: c *ipse enim* (vt ait *Iai.*) *vulneratus est* in toto suo corpore, propter *iniquitates nostras*, vt omnia animæ meæ vulnera, ita sanarentur; & ego prouocarer ad illum diligendū, & illi seruiendum. Aperiens enim mihi viscera sua flagellis lacerata, ad hoc obstrinxit, vt ego illi mea offerrem, cum omnibus affectibus meis. Est verò meritò credendum, Christum Dominum nostrum, eluasse tunc oculos in cælum, Patriq̄e suo æterno dixisse verba illa Dauidis: d *quoniam ego flagella paratus sum*; quia ita tu statuisti. Corpus quidem meum, debuit esse immortale & imparabile, ad quod *malum*, nullum peccatum accederet, & *flagellum non appropinquaret tabernaculo meo*, in quo habitat anima mea; tamen prouidentia ira statuit, vt *corpus meum ita pararetur*, vt & pati possem, & flagellis exdi, & ex tunc ad sustinenda, sum paratus. vt g *qua non rapui, exoluerem*; vt à peñā, quam erant promeriti, qui honorem tuum rapuerunt, illos liberarem. Gratias tibi, o dulcissime Redemptor, quòd ad eò crudelem, infamem, & iniustam sententiam acceptaueris; ecce Domine, me ob tuum amorem, ad flagella præparatum, animo acceptandi sententiam, quam tuleris contra me; quæ neque iniusta erit, quia peccata mea illam promeruerunt; nec infamis erit, aut crudelis.

fiqui-

siquidem erit à Patre, qui h *quem diligit, corripiit, vt sese emendet.*

h Prou. 3. 12.
Hebr. 12. 6.

PUNCTVM I I.

EA sententia audita, milites magna insolentia Christum accipientes, & in atrium quoddam deducentes, vestibibus suis eum spoliarunt, etiam tunica inconsutili.

IN quo facto, considerabo primùm, quanto rubore affectus fuerit pulcherrimus ille iuuenis, & excellentissimus Dominus, cum se nudum in conspectu tot militum videret; & audiret irrisiones, quibus illi tanto pudore suffusum irridebant. Eam ignominiam & irrisionem patientissimè ille tulit, tum in pœnam impudentiæ, qua ego ipsius gratiæ veste meiplum nudavi: tum vt eâ, tanquam pretio, sacram hanc vestem compararet, qua miseranda nuditas mea cooperiatur. O amantissime Domine, qui *suades mihi, emere à te aurum ignitum charitatis, vt locuples fiam; & vestimentis albis virtutum indui, vt non appareat confusio nuditatis meae*, & ab æterna confusione liberer; quam, quò deis me spoliassent, promeritus eram. En in pretium nuditatis & ruboris, quo propter eam afficeris, offero tibi cor meum, & certam animi resolutionem, exuendi me ab omni re terrena: per eundem tuum ruborem supplico, vt gratia tua diuina, ita me induas, vt non incidam in confusionem æternam

I.

a Apoc. 3. 18.

I V. Part. Meut.

bb

LICET

II.

LICET etiam considerare, quòd, ut aliqui dicunt, milites Christum Dominum nostrum fortissimè ad columnam alligarunt, brachia in altum extensis, quòd facilius pro suo libitu totum corpus ferire possent: quòd sine dubio grauioris fuerit tormenti. nam & pedes inferiùs, & manus superiùs crudelissimè ligauerunt; qui tamen, etiamsi funibus illis ligatus non fuisset, erat ipse amoris funibus fortius constrictus, & paratus, permittere se flagelli

Isaia 53. 7. excoriari, remedij nostri causâ. *BOAGNA* innocentissime, qui admiranda mansuetudine, permittis te à crudelibus istis *tormentoribus* ligari, non solum, ut lanam, hoc est, sacra tua vestimenta tibi auferant; sed etiam ut delicatissimum tuum corpus, forficibus crudelium flagellorum totum excoriant, dolorem istum tantum te ita sustinente, & *obmutescente*, ut non *aperies os tuum*. Supplex te oro, ut me tecum *coloca 11. 4.* liges, *vinculis charitatis* ad eò solidis, ut nulla flagella aut labores temporales à te vnquam exoluere possint. Amen.

PUNCTVM III.

Salmeron.
tom. 10. tra.
stat. 29.

L.

LIGATO iam Christo ad columnam, ceperunt carnifices illi, inaudita crudelitate, eum flagellare. Tria verò (viquidam afferunt) diuersa fuerunt huius flagellationis instrumenta, quibus diuersi carnifices vsi sunt; vno post alterum, eum feriente. PRIMVM fuit viride: virgæ spinosæ: SECVN-

DYM

DVM scutica è loris seu neruis boum confe-
 cta, in quarum extremitatibus, aculei ferrei
 erant acutissimi: TERTIVM catenula ferrea,
 quibus carnes ita lacerabantur, vt costarum
 ossa nudarentur. His itaque instrumentis,
 Christi dorsum verberantes: primùm ictuum
 vi liuidum, mox subtilior pellis lacerata, de-
 mum & ipsa caro ita scissa & fracta fuit; vt
 sanguinis riuuli, ad terram vsque disflu-
 erent. & eadem crudelitate, reliquas corporis par-
 tes, nec brachiis, nec pectori, nec humeris
 parcentes, vsque ad ipsa ossa discooperienda,
 verberabant. Sicut itaque totum corpus my-
 sticum illius populi (Isaia teste) a à plan-
 ta pedis, vsque ad verticem, ita languebat,
 vt non esset in eo sanitas, à minimo vsque ad
 maximum, propter vulnera peccatorum: ita
 corpus ipsum Christi Domini nostri, à planta
 pedis, vsque ad verticem capitis, nullam par-
 tem à vulnere immunem habuit: sed tanquam
 leprosum, totum erat vulneratum: quem
 Isaia in spiritu videns, de eo dixit: b non est
 species ei, neque decor; & vidimus eum, & non
 erat aspectus, aut quod desiderari possit, de-
 spectu & nouissimum virorū, virum dolorum, &
 scientem infirmitatē, & quasi absconditus vul-
 tu eius, & despectus: vnde nec reputauim⁹ eum.
 Vere languores nostros ipse tulit, & dolores no-
 stros ipse portauit; & nos putauimus eū quasi le-
 prosum, & percussum à Deo, & humiliatum. Ip-
 se autem vulneratus est propter iniquitates no-
 stras: attritu⁹ est propter scelera nostra, disciplina

a Isaia 1. 6.

b Isaia 53. 2.

pacis nostra super eum, & luore eius sanati sumus. O si tantum luminis coelestis mihi esset, ut contemplari liceret, Redemptor mi, figuram ad eum deformatam, quam illi columbae alligatus habebas! O si ignitam ad eum charitatem haberem, quae me in eandem figuram, ut compassionis eius transformaret! O speciosam formam pra filiis hominum; quis pulcherrimam tuam figuram ita offuscavit? O splendor Paternae gloriae, quis diuinae tuae faciei splendorem ita obscuravit? O vir super omnes viros desideratus omnibus Gentibus, & expectatus: quis te in virum dolorum, & omnium generum abominationem commutavit? O leprosum salus, quis te fecit tanquam leprosum? O Pater aeternae, cur toleras, quod Filius tuus, tanquam latro tractetur, & tanquam a Deo percussus & castigatus habeatur? Si mea peccata sunt in causa, aequius est, me propter illa castigari: *g Ego, sum, qui peccaui, ego iniqui egi, Agnus vero iste quid fecit? vertatur obsecro manus tua contra me, descendant flagella super dorsum meum, ut quod culpam admisit poenam luat.*

O immensa Patris charitas, qui ut seruum sibi reconciliaret, proprium Filium percussit! O item infinita eiusdem filij charitas: quae ad eum, seuerè castigari se sinit, ut Patri suo seruum reconciliet. gratia tibi aeternae Patris, pro immensa hac tua charitate; tibi quae simili gratias, Fili Dei unigenite, pro hoc tuo infinito amore.

c 2. Cor. 3. 18.

d Psal. 44. 3.

e Hebr. 1. 3.

f Aggai 2. 8.

g 2. Reg. 24.

17.

QVO magis adhuc supplicij huius atrocitas aestimetur, conicere licet oculos in quatuor, quæ in eo concurrerunt, circumstantias.

PRIMA fuit ex parte corporis ipsius Christi Domini, quod tenerimum, delicatissimum, ac propterea sensuum dolori maximè obnoxium erat; quod etiam sanguineo sudore, qui pridie præcesserat, & noctis ipsius incommoditate, & aliis eiusdem diei defatigationem lassum erat & contractum; & cum verberum ictus omnino ad interiora penetrarent, ingentem illi dolorem adferebant. nam propterea in Psalmo, ubi nos legimus: *h supra dorsum meum fabricauerunt peccatores,* alia lectio habet *Ararunt.* nam ut aratrum terram scindit, & totam sulcat; sic flagella, sacratissimam ipsius carnem, ita sulcarunt, ut ad ipsa interiora penetrarent. O terra virginea, pura, & candida, nihil tibi necesse erat arari; nisi cōmiseratio, qua ob duritiam cordis mei tangebarris, ad id te permoneret. Penetra illud, Deus meus, compassionis aratro, ut sentiam ego in carne mea dolores, qui tuam penetrarunt.

SECUNDA circumstantia fuit, ex parte tormentorum siue carnificū, qui tum ex propria constitutione erant crudeles, tum ipse Præses in mandatis eis dederat, ut crudelissimè verberarent, propter causas superiùs dictas; Dēmon quoq; ipse ad idem vrgebat, ut Christum Dominum ea ratione, ad impatiētiam induceret:

II.

I.

hPsal. 128. 3.

2.

Principes etiam Sacerdorum, & reliqui eius hostes, ignem admouebant: & quoniam tortores mutabantur; illi, qui recentes adueniebant, noua crudelitate corpus illud sanctissimum percutiebant; maxime verò cum viderent, Christum Dominum ad eò patienter sustinere, vt nec signum quidem querelæ aut indignationis daret; & forte contentiosè verberabant, vt exclamationem aliquam, aut indignationis iudicium extorquerent.

3.

S. Gertrud.
lib. 4. diuin.
Insinuat. c.
35 ait fuisse
5466. Co-
sterus Me-
dit. 24 de
Passione.
i Deut. 25. 3.
k 2. Cor. 11.
24.

4.

III.

TERTIA fuit circumstantia, ob multitudinem verberum, ac verberantiũ. multi enim dicunt, fuisse plus quàm quinque millia ictus, quòd de hostium crudelitate facillè licet presumere. Non enim seruabatur cū Christo lex, quæ prohibebat i *plagarum numerum excedere quadragenarium*; aut vt S. Paulus de seipso fatetur, vt k *vna minus* esset, sed multos numeros quadragenarios sustinuit, pœnitentiã agens, quam nostra peccata merebantur. Et hæc est QVARTA circumstantia, ex parte scilicet nostrorum peccatorum, quæ & innumera erant, & grauissima. quamobrem verbera, quæ pro illis offerebantur, oportebat esse innumera & atrocissima.

EX his ergo considerationibus, æstimare debeo inuictam Christi Domini patientiam; vt qui nullum externum dedit indicium turbationis aut tædij; sed instar durissimæ incubis, crudelissimos ictus suscipiens, eos æternò Patri, pro nostris peccatis obtulit amore ad eò vehementi; vt quamuis verbera fuerint

pluri-

plurima, optaret multū, plura & acerbiora
 perferre, si nostrum remedium id exegisset;
 ideoque nunquam dixit, satis est; donec ipsa
 inimicorum rabies satiaretur, & iustitiæ Dei
 fieret satis. Ex quo magnum concipiam hor-
 rorem meorum peccatorum, quæ tatis suppli-
 cij causa fuerunt; magnumque desiderium, ea-
 dem pœnitentijs & disciplinis in meipso ca-
 stigandi. Ac denique ad huius Domini pedes,
 prope ipsam columnam, me constituens; cer-
 nensque eius desertionem, & neminem adesse,
 qui ipsius vicem doleat, aut ei compatiatur, &
 quod ex omnibus corporis partibus sanguine
 defluente, ipse debilitetur; nunc spiritu oscu-
 labor terram, sanguine Domini & Creatoris
 mei madidam; nunc ipsa flagella, pretioso illo
 sanguine madentia cordi meo applicabo; sup-
 plicans, vt inordinatarum affectionum mea-
 rum vulneribus medeatur, suoque diuino amore
 ipsum cor meum vulneret, tum sacram ipsam
 columnam summa reuerentia complectens ac
 salutans, dicam. O felicem columnam, in qua
 & alligatus, & verberatus is fuit, qui est totius
 mundi columna, & omnium quæ sunt creata,
 fortitudo! O columnam supremam, dola-
 tam & tinctam pretioso sanguine Filij Dei,
 qui effusus est, vt homines *1 faceret firmas co-* *1 Apoc. 3. 12.*
lumnas, in templo Dei viu! O vtinam tibi es-
 sem alligatus, vt sanguine isto tinctus & ma-
 des, ipse fierē columna firma, in eius obsequio,
 qui tanta mei causa in te sustinuit. O colum-
 næ Coeli, quid facitis, cur non contremiscitis

præ stupore, videntes Deum vestrum, in ista
columna verberari? O columna firmissima,
cui totus mundus innititur, compatere tibi
m *Isaie 51.9* ipsi: *induere fortitudinem brachium Domini*,
quo modo ita exangue ac debilitatum ma-
nes, & in periculo omnino deficiendi? sed quoniam
id totum propter mea peccata suffines,
corroboram me tua gratia, vt illa ipse castiget
& me ab eis emendem, Amen.

IV.

ULTIMO perpendam, quod expedita ha-
udè iniusta & impia sententia, milites illi
Christum Dominum soluerint, quem, pro-
pter defatigationem ac debilitatem, ob tan-
tam sanguinis, qui ex vulneribus fluxerat, co-
piam: credibile est, cecidisse in terram: &
quoniam vestimenta, remotius à loco iace-
bant, ipse nudus, & prout peterat, quasi re-
pens, & sanguine ipso, qui circumcirca co-
lumnam effusus erat, seipsum iterum mades-
ciens, ad locum tandem vbi vestes erant per-
ueniens: illas induit: ed quod carnifices illi, si-
ue ob crudelitatem, siue ob despectum & de-
risionem, vt illas indueret, non iuuabant:
hoc totum inquam piè contemplari possum,
tactus compassione, ob tantam huius Domini
debilitatem, tum ab omnibus deserta-
onem. O Rex cælestis, qui omnes creaturas
in suis actionibus adiuuas: quia sine te, nihil
illæ facere possunt; quomodo neminem iu-
bes, qui te in hac necessitate adiuuet? O Sacra
vestimenta, quæ vestro contactu effecistis; vt
n *Luc. 8. 44.* *mulieris, quæ simbriam vestram tetigit, con-*

festum fuerit fluxus sanguinis, & o quicumque
 vos tangebant, salui fiebant; sanate nunc vulne-
 ra mei Saluatoris, & sistite sanguinis eius flu-
 xum: vt vires ei suppetant, ad nostram redem-
 ptionem, ad finem vsq; perducendam. O vti-
 nam presens adfuissem, vt ei ministrarem!
 quamuis ad eius leuamen, proprium meum
 sanguinem effundere opus fuisset: accipe ta-
 men nunc Deus meus bonam hanc volunta-
 tem, quam mihi dedisti, illamque ita cor-
 roborata, vt quaecunque potero, in tuum sem-
 per obsequium praestem: desiderando, mul-
 to etiam plura, quam praestare possim, ef-
 ficere.

o Marc. 14.
 36.

MEDITATIO XXXVI.

DE CORONATIONE SPI-
 NEA, & ceteris irrisionibus,
 quae secuta sunt.

PUNCTVM I.



ILITES, qui Christum ver-
 berauerant, à Dæmone in-
 stigati, nouum aliud tor-
 mentorum genus adinue-
 nerunt, quo non minus do-
 loris inferrent, quam adfer-

bb s rent